

etiam verum est, etsi intentionem illum deferendi non habuisses, sed solum terrendi, quia cedere e iure tuo id faciendi, quod pretio aestimabile est. — Elbel, n. 307. — Reuter, n. 120.

2<sup>o</sup> Si Titius intulit tibi metum, ut rem aliquam Caio tradas, non tenet contractus. Etenim si Caius, quo tempore rem a te acceptat, iniuriam tibi illatam novit, metum ipsè incutere censetur per Titium. Si vero novit posterius, assimilandus est possessori bonae fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac comperit esse alienam. — Billuart, diss. 1. art. 4.

3<sup>o</sup> Si quis tibi damnum ex mera malevolentia paret, atque adeo nihil a te postulet; tu vero sponte pecuniam promittas, ut illaesus evadas; eam tradere non teneris; quia licet metus non fuerit in ordine ad contrahendum, habet tamen pro obiecto solam iniustae vexationis cessationem: atqui vexator hanc cessationem vendere nequit: ergo quidquid sic acquirit, ut male fidei possessor accipit, adeoque restituere debet. — Billuart, ibid.

4<sup>o</sup> Si viator a latrone oppressus transeuntem hominem in auxilium advocaverit, ei pecuniam promittendo, valet promissio, quia metus non est eius causa, sed occasio tantum; et aliunde auxilium a transeunte praestitum est pretio aestimabile. Attamen, si summa enormis esset, immi- nuenda foret, — V. *Casus*, n. 785, et seq.

## CAPUT II.

### DE OBLIGATIONE CONTRACTUS

Obligatio contractus est vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

785. **Principia.** — I. Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiae, saltem ex parte unius e contrahentibus; quia in contractu ius aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem iuri sua correspondet obligatio; ergo, etc.

II. Contractus rite initus, nisi quid aliud pro casu particulari leges

*ctio datorum concessa legitur; ut puta domino, a cuius servo fugitivo vel fure pecuniam acceperas, ne eum indicares.* E quibus satis colligitur, hanc quaestionem fere recidere in contractum de re turpi. Ideo potiusquam dicas, eum qui silentium furi pollicetur, *e iure suo cedere*, dicendum forte erit, hunc discedere ab officio seu iustitiae, seu charitatis, seu iustitiae legalis aut charitatis

in rempublicam; neque titulum accipiendi aut retinendi accepta a fure alium illi suppetere, nisi quod periculo alicui seu damno vel spirituali vel temporali semet exponat. Confer De Lugo (disp. 19. n. 103-104.) et Molina (*De Iust. et Iur.* Tr. 2. disp. 735. n. 3.), qui negant, promissum silentium, si praedicta damni pericula absint, pretio ullo esse aestimabile atque adeo retineri acceptum pretium posse.

statuant, vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes, aliasve, quae aut eorum locum teneant, aut cum iisdem causam habeant, ut sunt heredes, mandantes, etc. Ratio est, quia nemo privatus alteri invito onus imponere, vel beneficium concedere potest, nec alioquin contractus vim habent, nisi a privata contrahentium voluntate.

III. Contractus rite initus non solum obligat ad id, quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria, quae pro conventionis natura postulant aequitas, lex, aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et propterea velle non tantum quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet (\*).

Hinc studiosè inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum (\*\*). Tandem si omnibus perpensis dubium tolli nequeat, am- icabilis transactio suadenda est.

786. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quorsum obliget contractus rescis- sioni obnoxius?*

*Resp.* Contractus ille dici potest conditionate obligans, scilicet si nullitas non invocetur. Ratio est, quia legislator ad bonum pacis noluit, ut eiusmodi contractus invalidi censerentur et essent, nisi quando eorum nullitas expresse invocaretur, et obtineretur. Sequitur ex dictis de contractibus minorum, uxorum, et interdictorum, n. 762. et seq.

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An valeant et in conscientia obligent contractus initi absque formalitatibus ad ipsorum valorem a iure praescriptis?*

*Resp.* Triplex est sententia probabilis:

I<sup>a</sup> **SENTENTIA affirm.**, quia de iure naturali solus consensus partium sufficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obliga- tionem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget. — Molina, etc.,.

II<sup>a</sup> **SENTENTIA negat**, quia leges irritantes contractus praedictos fun- dantur in praesumptione non tantum doli, sed etiam periculi communis; postulat siquidem bonum commune, ut ansa quibuslibet fraudibus tol- latur; et proinde naturalem quoque obligationem contractus irriti in foro externo lex tollere potest et debet. — Lessius, l. 2. c. 19., etc.

III<sup>a</sup> **SENTENTIA tenet**, in his contractibus praefendum esse posses- sorem, donec per sententiam iudicis condemnetur ad restituendum (1). —

(\*) Ita et ius italicum C. C. art. 1124.

(\*\*) In contractibus, potius quem stetur litterali verborum sensui, indaganda est communis contrahentium intentio. C. I. art. 1131.

(1) Clarius<sup>7</sup> Lugo (disp. 22. n. 251.), qui hanc opinionem reipsa futilem esse evincit. *Tertia sententia media dicit, non esse omnino nullum testamentum vel contractum sine ulla solemnitate*

Ita S. Lig. n. 711., ubi addit, *Hanc sententiam esse in praxi omnino tenendam, ex eo quod, cum possessio ius certum tribuat, nequit possessor re exspoliari, nisi constet de iure alterius.*

787. QUAER. 3<sup>o</sup> *Quomodo cesset obligatio contractuum?*

*Resp.* Obligatio contractuum cessat 1<sup>o</sup> *Per solutionem*, seu per *praestationem* cuiuslibet rei debitae, aut etiam per *executionem* obiecti promissi aut alias debiti.

2<sup>o</sup> *Per novationem*, seu substitutionem novi debiti debito veteri, quod sic extinguitur: v. gr. promisi tibi dare singulis annis decem vini dolia; nunc convenio tecum, ut vinum amplius dare non teneam, sed mille francos: obligatio dandi vinum tunc extinguitur.

3<sup>o</sup> *Per condonationem*, seu actum, quo creditor debitori suo ex plena libertate debitum remittit. Quisque enim de iure suo cedere potest in iis omnibus, quae ad bonum publicum non spectant, modo ad contrahendum inhabilis non fuerit.

4<sup>o</sup> *Per compensationem*, seu fictam et reciprocam solutionem, quae locum habet, quando personae sunt erga se invicem debitorum.

5<sup>o</sup> *Per confusionem*, quae locum habet, cum obligatio debitoris et ius creditoris in eadem persona coadunantur, v. gr. si creditor fiat heres sui debitoris, vel debitor sui creditoris, vel eadem persona fiat heres creditoris simul et debitoris.

6<sup>o</sup> *Per destructionem*, aut *perditionem* rei debitae, quae aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis, et aliquando in aliis, ubi non incidit culpa debitoris... Aliquando vero non liberat, v. g. si evenierit culpa debitoris, vel fuerit in mora culpabili... etc.

7<sup>o</sup> *Per rescissionem*, seu *rescindibilitatem*, quae locum habet, quando contractus essentialibus conditionibus constans ob aliquos defectus dissolubilis est. Contractus ille valet, donec rescindatur, *ut supra dictum est* (C. C. 1234.).

8<sup>o</sup> *Per praescriptionem*, de qua dictum est supra, *Tract. de Iustitia*, n. 580. et seq. (2).

*factum; sed valere ad hoc, quod possessor potest retinere, donec per sententiam condemnetur; post sententiam vero tenetur restituere.* Negat proinde, ius aliquod ex possessione fieri; sed (ut subdit) *haec videtur esse sola legislatoris intentio, et ita videntur leges usu proborum hominum receptae, ut solum detur ius petendi in iudicio et obti-*

*nendi contra eiusmodi testamenta et contractus, non vero quod ipse, qui possidet, debeat se spoliare, quod nimis rigidum esset.*

(2) Inter modos, quibus cessat contractuum obligatio, praeter alios minoris momenti accenseri non incongrue potest etiam mutuus contrahentium dissensus.

788. — QUAER. 4<sup>o</sup> *An cessio bonorum a solutione integra liberet?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.* quoad cessionem voluntariam, seclusa speciali conventionem inter creditores et debitorem, vi cuius hic omnino liberetur. Ratio est, quia creditores non sunt facti omnino indemnes, et proinde remanet adhuc inaequalitas reparanda. — S. Lig. n. 669. — Gousset, n. 772. — Vogler, n. 542. — *Vide supra de Iustitia*, n. 719.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Neg.*, etiam quoad cessionem iudiciariam; privilegium enim cessionis consistit tantum in eo, quod debitor infelix et bonae fidei, amplius iudicialiter urgeri non possit; proinde si nova bona acquirat, usque ad integram solutionem creditoribus satisfacere debet. — S. Lig. ibid. Excipe, si ex rerum adiunctis videantur creditores omnia antiqua debita condonare.

QUAER. 5<sup>o</sup> *An bona cessurus aliquid occulte sibi reservare possit?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Certo peccat contra iustitiam, si res magni valoris retinet, quia damnum creditoribus infert.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Qui cedit bonis, si in magna versetur indigentia, non peccat contra iustitiam, si bona quaedam servet, quibus sustentetur cum familia, donec per iudicem ipsi provisum fuerit. Post factum autem inquietandi non sunt illi, qui res vere sibi necessarias, modici valoris, sibi retinuerunt. — Vogler, n. 542. — Gousset, n. 772.

789. — QUAER. 6<sup>o</sup> *Quibusnam signis distingui possit, utrum lex irritet contractum ipso facto, ob defectum solemnitatis, vel post iudicis sententiam tantum?*

*Resp.* Vix ac ne vix quidem regulae omnino certae in hoc dari possunt; nec concordant inter se sive Theologi, sive Iurisperiti. Generatim tamen lex videtur ipso facto irritare in conscientia et ante iudicis sententiam:

1<sup>o</sup> Quando irritatio fundatur in lege determinativa proprietatis; quia ad Principem vi supremae potestatis pertinet, dominium rerum determinare. Hinc ipso facto irritae sunt dispositiones, quibus reservatio heredum necessariorum laeditur.

2<sup>o</sup> Quando irritatio spectat actum bono publico nocivum; quia Princeps habere debet potestatem impediendi, ac proinde in conscientia irritandi actus civiles bono communi noxios; secus deordinationem in societate efficaciter non impediret. Hinc ipso facto irritae sunt ex utraque parte conventiones ob causam turpem.

3<sup>o</sup> Quando irritatio directe fundatur in motivo boni publici; quia secus legislator scopum suum sufficienter non obtineret. Sic irritae sunt ipso facto dispositiones immobilium dotalium.

Quando vere difficile sit, ut saepe contingit, praefatas regulas applicare, ad interpretationem Doctorum, et ad consuetudinem recurrendum est.

## CAPUT III.

## DE CONTRACTUUM MODIFICATIONIBUS

Modificationum nomine designantur quaedam clausulae praeter contractuum naturam et essentiam adiectae, ita ut eorundem contractuum obligationem nunc obfirmant, nunc etiam augeant vel determinent, nunc suspendant vel perimant.

Praecipuae autem contractuum modificationes sunt 1<sup>o</sup> iuramentum; 2<sup>o</sup> modi; 3<sup>o</sup> conditiones. — De his tribus breviter agendum.

## ARTICULUS I. — DE IURAMENTO CONTRACTUI ADIECTO.

790. — Iuramentum, prout hic sumitur, est advocatio Dei in testem eorum, quae per contractum promittuntur. Obligatio iuramenti ab obligatione contractus in hoc etiam differt, quod obligatio iuramenti afficit et obstringit immediate iurantis personam, unde ad heredes non transit; obligatio vero contractus confert alteri ius *strictum*, seu ius *proprietatis*, afficiens contrahentis bona, ideoque ad heredes obligatio integra transit.

791. **Principia.** — I. Contractus iure naturae irriti, iuramento non firmantur. Ratio est, quia iuramentum est actus omnino extrinsecus contractui, et proinde eius vim supplere nullatenus potest. Hinc axioma: *Iuramentum sequitur naturam actus.* — Billuart. — Reuter, etc.

II. Nec firmantur iuramento contractus ipso facto *irriti* de iure positivo. Ratio est, quia lex irritans innititur motivo boni communis, atque ordinis publici; iuramentum igitur foret contra bonum commune, et proinde vinculum immorale, quod Deus, societatis auctor, sancire non potest. — *Ita communius* cum Billuart.

III. Iuramentum semper est invalidum, quoties sine iurantis peccato servari non potest. Ratio est, quia iuramentum nequit esse vinculum iniquitatis, nec contra bonos mores obligare valet. — *Ita omnes Theologi.*

792. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An iuramentum firmet contractus, non quidem lege positiva irritos, sed rescindibiles tantum?*

**Resp.** 1<sup>o</sup> *Neg. probabilius*, quando rescindibilitas intuitu boni publici inducitur. Ratio patet ex dictis. Hinc non valent iuramenta minorum, uxorum et similium ad firmandos contractus lege irritos, etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta; quippe perversi homines semper iuramentum ab iis exigent, quod in detrimentum societatis cederet.

**Resp.** 2<sup>o</sup> *Probabilius* autem iuramentum valet, si rescindibilitas inducta fuerit in privatam contrahentium utilitatem; quia unusquisque renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto: iuramenti autem

interpositio in eo casu est quaedam renuntiatio beneficio rescissionis, in gratiam contrahentis inducto. Hinc videtur stare iuramentum, quo quis promittit libere alteri, se non revocaturum testamentum, vel legatum in ipsius favorem factum, quia iurans e iure suo cedere potest. — *Ita communius.* — Lugo, etc.

793. — **QUAER.** 2<sup>o</sup> *An valeant iuramenta metu extorta ad firmandos contractus ob metum per se invalidos?*

**Resp.** Duplex sententia datur probabilis:

I<sup>a</sup> **SENTENTIA** *communior affirmat*, quia ex motivo Religionis iuramentum servari debet, quoties sine peccato servari potest. — S. Lig. *de Iuram.* n. 174. — Lugo, Billuart.

II<sup>a</sup> **SENTENTIA** *probabilis neg.*, quia iuramentum naturam actus sequi debet; iuramentum enim actum de natura nullum confirmare nequit. Praeterea iuramentum esset actus prorsus inutilis imo ridiculus. Nam v. gr. post pecuniae traditionem a te vi iuramenti factam latroni, eandem pecuniam statim a latrone, etiam vi adhibita, recuperare posses; quod prorsus illusorium foret. — S. Antoninus. — Sanchez, etc.

## ARTICULUS II. — DE MODIS CONTRACTUI PRAEFINITIS.

794. — Modus est qualitas adiecta, plerumque non suspendens contractum, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium.

Contractus modales praecipue fiunt 1<sup>o</sup> in diem, — 2<sup>o</sup> sub causa, — 3<sup>o</sup> sub poena, — 4<sup>o</sup> sub demonstratione, — 5<sup>o</sup> sub disiunctione.

**Resolves.** — 1<sup>o</sup> Modus servandus est ex iustitia, nisi repugnet substantiae contractus.

2<sup>o</sup> Illius violatio ordinarie, et nisi aliter conventum fuerit, non irritat contractum; quia ut quid mere accidentale habetur.

3<sup>o</sup> Si modus sit turpis aut impossibilis, habetur pro non adiecto; nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturae repugnet, vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit.

4<sup>o</sup> In contractu *ad diem*, obligatio statim oritur, sed *effectus* ad diem determinatum suspenditur.

5<sup>o</sup> In contractu *sub causa (quia)*, vel *sub demonstratione* (vendo hoc vel tantum), error non invalidat, nisi ad essentiam rei pertineat.

6<sup>o</sup> Si error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative*; si vero *taxative*, ut aiunt, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative*, si res primo loco exprimatur, et postea eius quantitas: v. gr. lego Titio praedium meum triginta iugerum; *taxative* vero, si primo loco quantitas exprimatur, deinde res; v. gr. lego tres aureos in tali capsula. Sed adiuncta rerum perpendenda sunt.

7<sup>o</sup> In contractu *sub poena*, id est, quoties resilienti poena imponitur, poena haec ex iustitia debetur, si petatur, saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Poena tamen moderata esse debet; secus non obligaret.

8<sup>o</sup> In contractu *sub disiunctione*, v. gr. promitto bovem aut equum, nulla res determinata debetur, et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem.

ARTICULUS III. — DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPPOSITIS.

795. — Conditio est qualitas (1) contractui adiecta, quae plerumque illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam: *si, nisi, modo...*, etc.

Multiplex est conditio, quae contractibus apponi potest, scilicet 1<sup>o</sup> *expressa*, vel *tacita*; — 2<sup>o</sup> de *praesenti*, vel de *futuro*; — 3<sup>o</sup> *possibilis*, vel *impossibilis*; — 4<sup>o</sup> *necessaria*, aut mere *contingens*; — 5<sup>o</sup> *honestas*, vel *inhonesta*; — 6<sup>o</sup> *potestativa*, vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis, vel non est (2); — 7<sup>o</sup> *positiva*, vel *negativa*; — 8<sup>o</sup> *contraria* substantiae contractus, vel non

796. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se obligare voluisse.

2<sup>o</sup> Conditio de re turpi aut impossibili contractum nullum tum iure naturae tum civili reddit. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid turpe aut prohibitum se obligare. Excipiuntur tamen in iure civili, tum communi, tum Gallico, donationes inter vivos et per testamenta, in quibus conditiones *turpes* pro non adiectis habentur. — *Cod. civ.* 900. (\*). — Idem dicendum de conditione turpi aut impossibili matrimonio adiecta, modo substantiae contractus contraria non sit. — *Ita ex Iure canonico.*

3<sup>o</sup> Conditio de *praesenti* et *praeterito* non suspendit obligationem, sed illam statim vel adducit, aut non inducit, quia vel existit, vel non; proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel nullus.

4<sup>o</sup> Conditio non tantum aequivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem, *si nupseris*, quam impleri di-

(1) Conditionem hic, potius quam *qualitatem*, definiens esse *circumstantiam* dispositioni seu contractui adiectam, a cuius existentia dependere volumus illius valorem (Schmalzgr. lib. 4. tit. 8. n. 1.).

(2) Huic partitioni tertium alii addunt membrum, conditionem nempe *mixtam*, quae partim ab contrahentis arbitrio, partim ab incerto eventu pendet.

(\*) Ex iure Gallico in qualibet dispositione inter vivos aut testamentaria, conditio impossibilis aut contraria legibus vel bonis moribus pro non scripta habetur art. 900. Cf. *ibid.* cl. Allegre. Ex iure italico donatio inter vivos (nam aliam non agnoscit) facta sub conditione impossibili vel contraria legi aut bonis moribus est nulla C. C. art. 1065.

cunt per ingressum in Religionem; secus enim conditio turpis esset. — Vide S. Lig. n. 930. Excipe, si conditio esset determinata ad aliquam personam, v. gr. si nupseris Paulo; quia iusta et honesta ratio tunc adesse potest.

5<sup>o</sup> Conditiones *potestativae*, seu quae a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletae censentur non solum cum id praestatur, quod instar conditionis iniunctum fuit, de quo nulla esse potest controversia, sed etiamsi id reipsa non praestetur, quando scilicet ille, qui se obligavit, vel 1<sup>o</sup> impedit quominus conditio adimpleretur (3); vel 2<sup>o</sup> ab altero impeditus est, ne conditioni satisfaceret (4). — V. *Casus*, n. 787. et seq.

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

Ac 1<sup>o</sup> de contractibus gratuitis; 2<sup>o</sup> de contractibus onerosis.

SECTIO I.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

Nimirum 1<sup>o</sup> de promissione; 2<sup>o</sup> de donationibus; 3<sup>o</sup> de commodato et precario; 4<sup>o</sup> de deposito et sequestro; 5<sup>o</sup> de mandato et gestione negotiorum; 6<sup>o</sup> de mutuo...

CAPUT I.

DE PROMISSIONE

797. — Promissio est contractus, quo quis libere et spontanee sese obligat ad aliquid gratuito praestandum vel omittendum in alterius favorem. Conditiones ad obligationem promissionis requisitae sunt; 1<sup>o</sup> Ut adsit voluntas se obligandi, saltem virtualis et implicita, quam censetur habere, quisquis serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat.

2<sup>o</sup> Ut consensus eiusdem promittentis plene sit liber et spontaneus, ac proinde absit omnis error et dolus circa substantiam et causam finalem, omnisque coactio vel metus iniustus.

(3) Non ita semper contingit; potest enim quis contractui apponere conditionem, quam implere vel non implere sit in eiusdem apponentis libera potestate. Sic v. gr. potest quis nuptias promittere, nisi sacris malit initiari. Imo haec conditio tacite subintelligitur in contractu sponsalium, nempe, nisi malim religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere etc.

(4) Duplicem casum, in quo etiamsi non id praestetur, quod pacto cautum fuerat, conditio tamen impleta censetur, habes 1<sup>o</sup> Si implementum conditionis impediverit tertius, cuius intererat eam haud impleri, cum contrahens implere ipsam vellet; 2<sup>o</sup> Si impeditum sit implementum facto tertii, in cuius persona conditio implenda erat. — Vid. Voet, lib. 28. tit. 7. n. 19.